

157.

3. 4

DISPUTATIO INAUGURALIS,
 EX
 UNIVERSO JU-
 RIS NOSTRI SYSTE-
 MATE DELIBATA,

1645,7

14

Quam

DEI FRETUS AUXILIO,

*Jussu & Autoritate, Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Jcto-
rum Ordinis, in illustri ac celeberrima Salana Universitate,*

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo, Excellentissimo, atq; Consultissimo,

42

DN. CHRISTOPHORO-PHILIPPO

*Richtern / Jcto & P. P. Celeberrimo, Consilia-
rio Saxonico gravissimo, Curia Provincialis & Scabinatus
Adfessore meritissimo, & p.t. Juridicæ Facultatis Decano Spectatis-
simo, Domino Patrono, Promotore ac Præceptore suo summâ
animi observantia ætatem colendo,*

*Pro summis in utroq; Jure Honoribus ac Privi-
legiis Doctoralibus ritè consequendis,*

IN AUGUSTO JCTORUM COLLEGIO,
publico examini submittit.

JACOB Schröter / JUNIOR, Meinungâ
Hennenbergicus,
Ad diem 28 Junii.

JENÆ

*Typis WEIDNERIANIS,
ANNO MDCXLV.*

2





SERENISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D_n. ERNESTO,

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac
Montium, Landgravio Thuringiae, Marchio-
ni Misniae, Comiti de Marca & Raven-
spurg, Dynastæ in Raven-
stein, &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,

Hanc Disputationem Inauguralem

*humiliter & sub-
jectissime*

consecrat


Sereniss. ejusdem Celsit.

*humilimus & devotissimus
cliens*

JACOB Schröter/Junior,
J.U. Doctorandus,
A. & R.

JEHOVA JUVA!

Proœmium.

 Vemadmodum apiculæ, quibus nullus otio perit dies, teste Plinio, sagacerrimo naturæ scrutatore *l.ii. c.6.* verno tempore exeunt ad operas & labores suos, floresque ad mel conficiendum idoneos carpunt; deinde quicquid attulere, disponunt ac per favos digerunt: Ita & nobis, juxta mentem Senecæ *in Epist. de Rat. Stud.* apes imitari, atque ex latissimo juris nostri campo pulcerrimos quosdam flosculos decerpere, h. e. ex universo juris nostri systemate elegantes quasdam controversias colligere, easque ad usum transferre, & jam sub disputationis limam (quæ veritatis cribrum rectè dicitur) revocare allibuit. Ne tamen equo habenas in caudâ ponamus, ut loquitur *Waremund ab Ehbrenberg l.1. de fœder. p.m. 97. & l.2. c.1. n.1. & seq.* aut invitâ Minervâ rem aggrediamur, ideò prius, Luce illa inaccessiblei, face scientiæ & veritatis lucente, invocata, prout summa temporis, quod in omni actione observare pulcerrimum est, *Nov. Leon. 109* permiserit, sequentes subjicio quæstiones

I.

EX JURE CIVILI.

In *l.32. §.1. in fin. ff. de LL.* dicitur, quod LL. non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur: Legislator enim pro ratione temporis & circumstantiarum & LL. promulgat, & componit, & abrogat, *arg. §.1. Proœm. Inst.* non quidem, quod LL. assimilentur viperis, quæ ut matres suas tollere dicuntur sic & posteriora decreta priora, prout Carol. V. dixisse fertur, referente *Lipso*, delicato Romani eloquii flore, *in Notab. ad l.3.*

A 2

Po.

Politic. c. 5. sed, licet lex positiva variet, iniquum tamen non
statuat, neque à naturali ratione recedat, sed ita disponat, ut
Salus populi suprema lex sit. Insuper Consuetudo quo-
que, consensu utentium comprobata, leges imitatur §. 9. *I. de*
I. n. g. & civile. Hinc Dd. secundum *Br. in d. n. l. 32. n. 8.* &
in ejus repetitione *n. 5.* tres consuetudinis effectus tra-
dunt. Nam aut consuetudo est contra LL. & tunc LL.
tollit & abrogat: Notandum verò hic est, (I) quod consuetu-
do & LL. hic non considerentur simpliciter in thesi, seu
abstractivè, quomodo pari procedunt autoritate, nec unam
vincere alteram omninò dicendum est; sed in hypothesi,
seu concretivè, quatenus sc. ambæ concurrunt ita, ut de al-
terutrius succumbentia quæri sit necesse, quomodo consue-
tudo vincit LL. si posterior, vincitur verò, si prior; Posterius
enim derogat priori, *l. fin. ff. de Constit. Principum.* Deinde con-
suetudo vincit LL. vel per desuetudinem hæ abrogantur, qua
actum negativum, sive contrarium usum significant,
ad differentiam non usus, quo aliquid positivè venit,
arg. l. 2. ubi gloss. C. de diversis rescriptis. quo modo rectè dici-
tur, LL. non per usum, sed per contrarium usum tolli posse,
adeò ut licet civitas per mille annos non utatur aliqua L.
scripta, quia fortè non evenit casus, non tamen propterea
eam sublatam censerit, sc. quod requiratur omninò talis non
usus, qui habeat actus contrarios, *Reink. de retract. consangu.*
q. 1. sub num. 31. (II) Aut consuetudo est præter Le-
gem, h. e. cum per eam aliquid introducit, quod de jure
communi scripto omissum est, tunc ejus effectus est, novum
jus constituere, h. e. imitari LL. autoritate, ratione & obliga-
tione, ut tantum valeat consuetudo, quantum lex, *d. n. l. 32. §. 1.*
junct. l. 33. eod. t. §. 9. I. de I. N. G. & C. l. ult. C. que sit longa
consuetudo. (III) Aut consuetudo est secundum Le-
gem, cum nimirum Legi consentit, ejusque menti est con-
formis, tunc illius effectus est, legem interpretari: Optima
siquidem LL. interpretis est ipsa consuetudo, *l. 37. ff. de LL. &*
l. 23. eod. t. c. cum dilectus extr. de consuetud.

II. Potestatem in liberos soli competere Patri, satis arguit §. 10. I. de adopt. §. 5. I. de hered. qual. & different. §. 12. I. de Nupt. & arg. Rubric. de P. P. & in toto nostro jure vocatur patria potestas. Licet verò Patri jus vitæ & necis in liberos, quod olim habebat l. 11. ff. de liberis & posthum. & c. sit coarctatum per Jctos & posteriores Impp. l. 2. ff. ad L. Cornel. de sicar. adeò, ut hodiè in pietate, non in atrocitate consistat, l. 5. ff. ad L. Pompej. de Patricid. Attamen Patri decens adhuc quædam emendatio, potestas corrigendi, & ex justis causis, (quæ recensentur in Nov. 115. c. 3. quibus hodiè & aliæ addi possunt, ut notum) exhereditatio relicta est, l. 4. & t. t. C. de P. P. d. Nov. sic Pater potest filium per aliquod tempus in certo conclavi concludere, nec propterea incidit in pœnam privati carceris, quum hoc ob correctionem faciat, non ad custodiam Cynus in l. unic. C. de emendat. propinqu. Br. in l. 35. in fin. ff. de hered. instit. & c. Eodem modo liberi sine consensu Patris nuptias contrahere non possunt, princ. I. de Nupt. cum simil. adeò, ut licet matrimonium copula carnali consummatum sit, attamen propter defectum consensus paterni ipso jure nullum sit, per textum in l. 5. C. de LL. & c. Quamvis jure Canonico secus sese habeat, & hodiè in nostris Consistoriis etiam quædam moderatio adhibeatur, teste Schneidw. Inst. t. de nupt. & Ampliff. D. D. Richter, Promotor ac Præceptor meus omni animi cultu atatem prosequendus, in lect. public. decis. 8. latius id deduxit & præjudiciis confirmavit. Sic & olim Pater à genero offensus, filiam suam rursus abducere potuit l. 4. & 5. C. de repud. quamvis & illud jus moderatum hodiè sit, ita ut pater potestate sua non abuti, nec benè concordantia matrimonia turbare debeat, l. 1. §. ult. ff. de liberis exhibendis. Dicta hæc tamen non procedunt in matre, jure enim civili requiritur tantum consensus matris de honestate, vel de eâ necessitate, quam leges svadent, non præcipiunt, licet in hodiernis Consistoriis aliud observetur, refer. Schneidw. Inst. d. tit. p. 2. de nupt. licitis, n. 38. ita tamen, ut si mater dissentiat, Judex magis suum arbitrium interponere debeat, propter inconstantiam matrum, quia varium & mutabile semper testimonium pro-

ducunt foeminae, c. 10. extr. de V. S. Thesi autem nostrae non ob-
stat, quod una omnibus servanda sit parentibus reverentia.
l. 6. ff. de injus vocand. Et jure gentium introductum sit, ut
parentibus obediamus l. 2. ff. de I. & I. Obedientia autem praesupponit potestatem, tanquam suum correlatum. Nam
distingvimus inter patriam potestatem naturalem, re-
verentiam & honorem; & inter Patriam potestatem
civilem; Illa jure communi & divino, tam patri, quam ma-
tri competit; Haec vero civilis patri tantum, non ut reve-
rentiam matri debitam, ac jure naturae inductam auferat (na-
turalia enim jura immutabilia, S. pen. I. de I. N. G. & C. & sic
reverentia illa matri perpetuo manet) sed quia Pater caput
& Principium familiae est, ei aliqua prerogativa conceditur
in liberos jure civili Romano; Item huic juri convenit, eas
personas, quae alieno auxilio in rebus suis administrandis in-
digent, & quarum consilium adversus proprium commodum
laborare dignoscitur, alios in potestate non habere. Hinc foe-
minae olim erant sub perpetua cura. Nostram porro distin-
ctionem propositam probamus ex l. 4. de curat. furios. ubi dici-
tur: Pietas parentibus, etsi inaequalis est eorum pote-
stas, aequa debetur. Et alias vocabulum potestatis va-
rie in jure accipitur, arg. l. 215. de V. S.

III. Quamvis vetus istud servitutis jus, hodie apud
nos Christianos, parum utilitatis habere videatur, cum ejus
non nisi imago adhuc reliqua sit in certis locis, teste Olden-
dorpio, nec observetur, nisi adversus Turcas immanissimos &
Tartaros, teste Schneidw. I. de I. personarum, Schultz. in Synops.
Inst. eodem t. l. a. Quia tamen antiqua jura non parum con-
ferunt ad scientiam & cognitionem juris novi. arg. §. 1. I. de
testam. sequentem hanc, haud in subtilem LL. antinomiam
proponere, eamque in luculentam (nisi fallimur) consonan-
tiam erigere placuit: Q. nimirum, an servus possit esse
sine Domino? Et quidem in l. 4. §. 1. ff. de stat. homin. Ser-
vus is est, qui alieno Dominio subjectus est, junct. §. 2. I. eod. t.
Ast in l. 38. §. 1. ff. de noxal. action. contrarium habetur, dicitur-
que

que expresse, quod servus possit esse sine Domino: Resp. pu-
ramus, conditionem, seu qualitatem servi esse, quod non sit
sui juris, sive eam ipso actu obtineat, sive potentiâ, de qua
loquitur *d.l.38. §.1. junct. l.3. princ. de peculio.* ubi servus nul-
lius est Domini, licet quoque suo modo hæreditas (fictione
juris) loco Domini sit, quo pertinet etiam *l.23. princ. ff. de libe-
ral. caus.* ubi servus sine Domino est, sc. non ratione ratio-
nis, sed ratione qualitatis, i.e. juris servilis, quo ille utitur.
Aliter etiam solidissimè hanc controversiam decidunt Ma-
gnificus Dominus Ordinarius *D. Erasm. Ungepauer*, quem cum
Modestino in l.13. §.2. ff. de excus. tut. inter Coriphæos LL.
prudentum debitæ observantiæ ergò numeramus, in *Exercit.*
Justin. Exercit. 2. q.5. & Bacchov. ad Tr. V.1.D.2.th.2.l.6. puta.
Servus consideratur vel ut Persona relatione habita ad Do-
minum, sic nunquam est sine Domino: vel simpliciter, ut
quævis res alia, quæ est in dominio, quo sensu potest sine
Domino esse, non secus ac res alia quædam, quæ pro dereli-
cto habetur, licet jure novo servus pro derelicto habitus li-
ber fiat.

IV. Expediti juris est, liberos ex concubinâ natos fieri
legitimos per subsequens matrimonium, *§. fin. I. de Nupt. l.10. C.*
de natur. liber. Nov.117. c.2. & alibi. quod omne vitium tollit,
& legitimatos legitimis per omnia parificat *Nov.74. Nov.89.*
c.8. c. tanta. extr. qui filii sint legitimi, Schneidw. I. de P.P. n.22.
compositis tamen instrumentis dotalibus, *d. §. fin.* An verò
hoc etiam procedat per matrimonium in articulo
mortis contractum, non convenit inter Dd. Nos ex-
ercitii gratia affir. tuemur, quæ & in praxi probabilior,
testibus Dd. quos citat ad hanc rem *Hænon. disp. 2. ad I. th. 17.*
Ratio verò prima est; Quia consensus facit matrimonium,
non concubitus *l.30. de R. f. c. sufficiat. C.27. q.2.* & quidem non
nudæ cohabitationis, sed conjugalis societatis, qui simul at-
que accessit, verum est & perfectum matrimonium, perfecti-
one sc. prima, quæ consistit in ipsa forma, ex quâ res sortitur
speciem, hæc enim in matrimonio est indivisibilis conjun-
ctio

Actio animorum, quæ fit per consensum, c. 1. 23. C. 27. q. 2. Secus
tamen est, si loquimur de perfectione secunda, quæ in
operatione rei consistit, per quam res finem suum attingit, qui
matrimonio est generatio proles & educatio *Thom. P. 3. q. 29.
artic. ult.* Et hanc posteriorem vocant Icti matrimonium
consummatum. Licet itaque in nostro casu matrimonium
finem suum rarò consequatur, tamen matrimonium est, &
sufficit id institutum esse, non tam propter sobolem, quàm
propter favorem liberorum legitimandorum: Hoc enim so-
lo fine nititur legitimatio, *l. u. C. de natur. lib.* & sic per matri-
monium nova qualitas filii & quasi nova soboles efficitur.
Hinc & *Jason in addit. ad Porc.* rectè scribit: Copula ad pro-
ducendum matrimonium in esse non est necessaria,
sed postea est, quia in eo est consummatio matrimo-
nii, sicut in venditione traditio. Facit (2) quod hoc ca-
su matrimonium nõ solum dicatur, jam de præsentis contra-
hi, verum magis affectio maritalis retrohabita, jam & præ-
sentis matrimonio declarari, *l. 10. vers. neq. verisimile. C. de nat.
liberis. Nov. 117. c. 2. vers. ex hoc. Olemann. disp. 23. n. 10. 11. 12. 13. in
object. & resolut.* ubi & ad contraria respondet *Schneidw. I. de
P. P. n. 23. Gail. 2. obs. 141. n. 8.* Dixi autem, quod soli natura-
les liberi legitimentur. Sunt verò propriè naturales li-
beri, qui vel nascuntur ex servis *l. fin. ff. de his, qui sui vel alie-
ni juris sunt, l. 88. §. 12. de legat. 2.* vel qui nascuntur ex concu-
bina. Et de his duntaxat loquimur, qui soli legitimantur *d. l.
10. C. d. t. Nov. 113. c. 2.* Isti verò qui ex incestu nascuntur, vel
meretrice, non gaudent hoc beneficio: Et hi vocantur propriè
spurii, vulgò concepti, quæfiti *§. pen. I. de nupt. ubi vid. Ba-
chov.* & non nisi largo modo naturales vocantur. Nostri
verò moribus, (quod observandum) quoniam nulli penè na-
turales reperiuntur, eò, quod hodiè concubinatus sublatus sit,
**Reform. der Policey Ordnung zu Augspurg / de anno
1530. Tit. von leichtfertiger Beywohnung** (& non nisi de
facto apud quosdam retineatur) etiam spurii legitimantur,
Schultz.

Schultz. Synops. Inst. de Nupt. lit. b. Bachov. Inst. d. t. §. ult. n. 8.
Ampliss. Dn. D. Riem. p. m. decad. 2. q. ult. ubi etiam dicit, de
jure Canonico adulterinos & coeteros legitimari *per c. per ve-*
nerabilem 13. extr. qui filii sint legitimi. Verum id potius dispen-
sationem esse, quam legitimationem, putat *Bachov. d. loc.*

V. Pupillum (qui sc. enatavit ex infantia) uti & mi-
nozem, (qui hoc in casu pari passu ambulant, teste *Schneidw.*
Inst. de tut. autor.) sine tutoris vel curatoris autoritate, ne
naturaliter quidem obligari, aperte dicit *l. 41. ff. de condiēt. in-*
deb. junct. l. 59. de O. & A. Econtra verò contrarium probant
l. 1. §. 1. de novat. l. 21. pr. ad L. Falcid. l. 64. princ. ad S. C. t. Trebell.
l. 44. de solut. cum simil. Respondemus, pupillum & mino-
rem ob aliqualem consensum naturaliter quidem obligari,
& quatenus obligatio naturalis in se conderatur: Verum illa
naturalis obligatio jure civili impeditur, adeò ut effectum
suum non consequatur, & ideò habeatur pro inefficaci, & hoc
est, quod dicitur *in d. l. 41.* quia nec natura debet h. e. fi-
ctione juris civilis, quâ effectus naturalis obligationis
impeditur. Effectus igitur natural. obligationis non opera-
tur in pupillo, nisi in quantum factus est locupletior, &
quoties pupillus dicitur obligatus sine tutoris autoritate,
toties præsumitur locupletior factus, quo etiam spectât
cit. LL. Idem est, quando contractus in se habent lucrū
vel commodum, tunc enim præsumitur fieri locuple-
tior *arg. l. 39. de V. O. & l. 47. de solut.* Item si malitia supplet
ætatem, & dolum ipse committit, vel etiam, cum obli-
gatio fit ex re ipsa, tunc enim efficaciter obligatur, *per l. 46.*
de O. & A. l. 11. de vacat. & excus. muner. Schneidw. d. l. Bachov.
Inst. de inutil. stipul. §. 5. Matth. ad R. J. in l. 2. §. 1. & ibi citati
n. 25. usq. ad finem. Huc enim spectat aurea illa & divino juri
prorsus consentanea regula *in l. 206. de R. J. l. 14. de condiēt. in-*
debiti. l. 6. §. ult. de jure dot. Breviter, Pupillus naturaliter
obligatur, quatenus naturaliter rō civili: Et contra
non obligatur naturaliter, quatenus naturale opponi-
tur rigori, i. e. stricto juri, sive illud naturale sit, sive ci-
vile.

B VI.

VI. Verior est illa sententia DE JURE, quod in testamento, tempore pestis condito, requiratur numerus 7. testium, licet eo tempore jungi atque sociari remissum sit *per l. 8. C. de testam. Schrad. Fr. qq. practice. §. 19. n. 41. & seqq.* Hodie verò secundum æquitatem, in usu forensi contraria opinio obtinet, adeò ut TRES, vel PLURES testes sufficiant, *Gail. 2. O. 118. n. 18. Mynsing. Cent. 1. O. 96. n. 3.* ubi & multa præjudicia Cameralia refert, *Schneidw. I. de testam. n. 16.* Quod etiam JURE SAXONICO comprobavit Elect. August. in suis Nov. P. 3. Const. 4. ibique *Carpz. de fin. 1.* Et ita etiam in celeberrimo Dicasterio Jenensi M. Jul. 1632. Mens. Febr. 1626. Mens. Decembr. 1639. responsum fuit: quod Berlich. etiam P. 3. Conclus. 3. n. 23. extendit ad id, licet neque testator, neque domus ejus pestifera lue infecta sit, & ita quoque Lipsienses pronunciaſſe, refert, Anno 1608: Sic JURE CANONICO in quocunque testamento requiruntur saltem 3. testes, *c. 10. extr. de testam.* Et hodie, secundum hanc juris Canonici dispositionem super ultimis voluntatibus paganorum & rusticorum quotidie pronuciari, testatur non solum *Cöler. P. 1. decis. 35. n. 4. & alii.* Sed & Magnific. Dn. noster *Ordin. in lect. publicæ. ad d. c. 10. extr. d. t. & Ampliss. Dn. D. Richter & c. in decis. suis practice. publicè prælectis, decis. 38. ubi & multis præjudiciis confirmant.*

VII. Licet de JURE VETERI Filiusfam. non potuerit testari de bonis adventitiis, in quibus pater habebat usufructum *arg. l. 3. C. qui testam. facere possunt, ubi Donell.* Secus tamen esse, quoad jus novum, exerciti gratia defendemus. (Scimus enim in praxi, teste *Schneidw. & Schultz. in Syn. I. quibus non est permissum facere testam. lit. b.* aliter observari.) Et cum progressu temporis Anteriorum Impp. Constitutionibus, quibusdam in casibus bona adventitia pleno jure filiisfam. concessa fuerint, nullum dubitum videtur esse, quin de iis testari queant, *per textum in Nov. 117. c. 1. §. 1.* Quanquam verò Dd. comm. illam Novellam interpretentur de dispositione inter vivos, id tamen textui haud convenire videtur. Nam (1) generalitas textus

expressè refragatur, (in verb. quo velint modo disponere) non enim in specie dicit, (quo velint modo inter vivos.) E. ubi lex non distingvit, nec nos debemus distinguere, secundum vulgata: (2) Nulla penitus fuit de dispositione inter vivos dubitatio: Cum enim quisque Dominus sit rerum suarum moderator & arbiter, l. 12. C. mandat. Filius autem familias Dominus sit, & quidem plenissimo jure bonorum adventitiorum, in quibus cum proprietate ususfr. habet, nemo potest dubitare, quin de illis testari valeat. Nec verisimile est, Imper. hic novam edidisse sanctionem de casu non dubitabili, arg. l. 27. ff. qui testam. facere poss. Potius igitur Justin. propositum fuit, jus novum in d. Nov. 117. proponere, eamque decidere quaestionem, quæ anterioribus Constit. incognita & indecisa fuit, ut liquet ex præfat. d. N. & in verb. sancimus, quo in præfat. Justin. utitur. Illa enim Q. an filiusf. de iis bonis adventitiis, in quibus plenam obtinet proprietatem, inter vivos disponere queat, manifestè erat decisa in l. 8. §. 5. C. de bon. qua liber. Quocirca ne constitutio illa Justin. otiosa esset, dicendum omninò est, eam agere vel maxime de dispositione testamentaria: Etposito, sed non concessio, eam de dispositione inter vivos agere, ad ultimas tamen voluntates extendenda foret, per text. in Inst. de L. Fus. Can. toll. Vid. §. 1. 6. cum adj. auth. C. de bon. qua liberis junct. l. 7. C. eod. t. (qua lex referenda est ad l. pen. C. qui test. fac. poss.) & l. 8. §. 5. d. t. Trentl. V. 2. d. 10. thes. 2. l. c. & disp. in th. 2. l. b. cum ibidem citat. Diss. Bach. ad illum, & D. Riem. Decad. 6. q. 2. ubi tamen dicit, vel nostram sententiam æquiorè videri, quemadmodum & hodiè, moribus potissimum Saxonum filii fam. de bonis adventitiis testari possunt, cum vel per nuptias discedunt, vel alias mensæ seu domicilii paterni separationem faciunt, Schneidw. I. de P. P. in fin. & in Tit. quibus modis ea solvatur, in fin. Schultz. Inst. quibus non est permissum lit. b.

IIX. Neminem posse pro parte testatum & pro parte intestatum decedere, satis monstrat l. 7. de R. J. Absurdum enim est, ut una eademq; res diverso jure censeatur, l. 23. de

usucap. Hæres autem cum defuncto eadem persona censetur & hæreditas res est individua *l. 8. de R. V.* adeoq; unius defuncti personam repræsentat *§. 4. J. de hered. inst.* sicq; diversum successionis genus sortiri non potest, ita videlicet, ut pro parte testatorem referat, pro parte verò non. Sed secundum quosdam gravitèr videtur obstare *l. 9. §. 13. ff. de hered. inst.* Verum illa lex non asserit, quod isti volunt: Sensus enim istius *L.* breviter hic est; quod sc. si partes in Universâ hæreditate à testatore assignatæ sint, hæredes æquis partibus instituti intelligantur: Si verò voluntas testatoris refragetur, h. e. si partes à testatore assignatæ sint & quidem inæquales, ex iis ob expressam defuncti voluntatem succedere debeant; Id tamen, dum fit, defunctus pro parte testatus & pro parte intestatus non decedit, sed tantum testatus: Assignaverat quidem testator partes in re certa, sed quia in re certa institutio non valet, sed ita instituti in omnibus rebus hæreditariis instituti intelliguntur, *l. 1. §. 4. J. de hered. Inst.* ac si nullius rei certæ mentio in testamento facta fuisset, ideò inquam æqualiter in casu *d. l. 9.* hæredes succedunt. Si enim Testator in Universâ hæreditate eos inæqualiter instituisset, ex inæqualibus quoq; partibus hæredes successissent: Idq; volunt finalia *d. l. 9. §. 13. ibi,* si modo voluntas. *Fach. l. 4. controv. c. 15. in fin.* Nostra autem thesis procedit nõ tantum respectu bonorum, sed & temporis. Hæres enim, neq; ex certo tempore, neq; ad certum tempus institui potest, *l. 34. ff. de hered. inst.* & qui semel hæres factus est, non potest desinere esse hæres, *l. 88. ff. eod. t. Bronchorst. cent. 3. assert. 31.* ubi ad contraria respondet. Excipitur autem in nostra thesi miles, qui ex speciali privilegio pro parte testatus & intestatus decedere potest, vel etiam, si vigore consuetudinis quis condit testamentum, hoc enim non extenditur ad bona extra territorium consuetudinis sita, sed perinde hæc habentur, ac si intestatus decessisset, *Gail. 2. obs. 124. n. 14. Matth. ad R. J. d. l. 7. in fin.*

IX. In *l. 4. ff. de usufr.* Usufructus in multis casibus pars Domini est, *junct. l. 58. de V. O. l. 8. pr. ff. de rebus auctor. Judic. possid. l. 76. §. 2. de leg. 2. Sed in l. 66. §. 6. ff. de leg. 2. con-*

tra-

trarium innui videtur, in verb. Ususfructus enim, etsi in jure, non in parte consistit, emolumentum tamen rei continet, *Junct. l. 25. de V. S. l. 43. §. ult. ibi*, quia fructuarius Dominus non est *de furt. & facit textus in §. 1. Inst. de legat. & textus in l. 13. §. 2. ff. de accept. l. 30. §. 2. ff. de fidei: Item textus in l. 15. d. 47. ff. de injur. & in l. 1. pr. ad Syllan.* Hanc antinomiali ita conciliari posse putamus: Sc. ibi textus loquuntur de exceptione; Hic de Regula: Ibi enim ususfructus quandoq; partis loco habetur, & effectum domini continet, sc. ob emolumentum, quod fructuarius exinde percipere solet, *per text. in d. l. 66. §. 6. d. t.* Hic verò quia est fundi qualitas, partem substantiæ substituere nequit, *Conf. Nic. de Pass. in h. l. & pag. 630. usq; 643. 8. & Besold. in delib. ex h. l. 7. q. 3.* Addo, usumfr. (cujus opposita species est proprietas) partem Domini pleni, seu fundi esse, non subjectivam, s. quæ sub toto Universalis continetur, & de genere suo prædicatur, eidemq; subjicitur, nec qualitativam (ut tertia, quarta & alia pars rei pro indiviso) de qua est textus in *l. 50. §. fin. ff. de hered. Inst. & §. 5. f. eod. t.* nec numeralem, de qua tractat Alciat. in *l. 51. de V. S. n. 5.* sed vel integram, veluti paries dicitur pars domus *l. 23. ff. de usucap.* vel etiam accidentalem, quia adesse vel abesse potest, citra totius corruptionem, ut foetus pars matris dicitur, *l. 8. 10. 14. §. 1. de usufr. cum simil.* Item pupillaris substitutio pars testamenti paterni *l. pen. ff. quemad. testam. aper.* & dies pars obligationis *l. 1. §. 2. ff. de edend.* Cum tamen stipulatio sine die fieri possit *§. 2. f. de V. O.* Ergo, ut concludam, ususfr. quidem pars erit domini s. fundi integralis s. integralitèr dicta: Non verò substantialis, seu subjectiva.

X. Non frustra Q? an quis simul possit esse Advocatus & Adfessor in eodem collegio? Etenim in *l. 5. ff. de offic. Adfess.* dicitur, non licere consiliario advocare in auditorio suo, sed in alieno eum posse: *Ast. in l. ult. princ. C. eod. t.* Nemo potest in alio judicio esse Adfessor, & in alio Advocatus. Putamus hæc ita posse conciliari, nempe, ibi potius

B 3 alium

aliud sensum esse; Puta, quod consiliario negotia sua propria non liceat in illud auditorium traducere, ubi ipse assistet: In alienum vero non prohibeatur: Hic vero ratio est, quia difficile, ut unus duorum vicem sustineat, *per text. in l. 9. pr. de pact.* (Unius enim exercitium alteri repugnaret.) Licet quandoque diversis respectibus & diverso jure censeatur, adeoque duplicem personam unus homo representare possit, *arg. l. 19. pr. de manum. vindict.* Id quod tamen, uti hic *in d. l. ult. in illicitis & prohibitis non procedit.*

XI. Creditori invito non posse particularem solutionem (regulariter) obtrudi, statuimus *per l. 41. §. 1. ff. de usuris. l. 9. C. de solut. & facit l. 13. §. 8. ff. de act. empt. & arg. l. 4. §. 6. ff. de Statulib.* ubi haeres etiam per partes decem accipere favore libertatis cogendus est. Ergo alias regula erit in contrarium, quia exceptio confirmat regulam in contrarium, *Quirin. Cubach. lib. Brocardic. 9.* Ratio autem est, quia totum debitum est in obligatione E. non nisi totum iterum solvi debet. Nec movet *l. 21. ff. de R. C.* ubi ad officium praetoris pertinet actorem compellere, ad accipiendum id, quod offertur, E. Nam Respond. quod *d. n. l. 41. §. 5.* loquatur de facultate solendi extra iudicium, *Hac v. l. 21. de officio Praetoris,* qui aliquando jus strictum aequitate temperare potest: *Conf. Bach. V. 1. ad Tr. D. 20. th. 11. l. a. & V. 2. d. 29. th. 2. l. 6. & in Comm. ad Inst. §. 1. Inst. quibus mod. oblig.* Aliter respondet etiam *Pac. hic. q. 70. circa fin. aliter quoque Schneidw. J. d. t. §. 1. n. 13.* Et hanc thesin nostram ita etiam servari in praxi, testatur *Carpz. P. 2. C. 28. defn. 13.*

XII. Sic etiam affirmamus, Venditorem praecise teneri ad traditionem rei venditae, nec praestando interesse liberari, (modo facultatem rei tradendae habeat) *per l. 11. §. 2. ff. de act. empt. l. 30. §. fin. eod. t. l. 4. 10. 12. C. eod. t. cum simil.* Et facit ratio, quia eo solum casu non tenetur, si rem tradere non potest *arg. l. 21. ad L. Cornel. de fals. & insuper ratio in l. 5. C. de O. & act. junct. rat. ex l. 83. §. 1. de V. O.* ibi, quod iudicium etiam in invitum reddatur) quae sententia itidem
in

in praxi recepta est, *Carpz. P. 2. C. 1. def. 15. n. 2. ubi præjudic. confirmat.* Idem & jus Saxonicum obtinere, tradit *Schultz. in Synops. J. de Empt. & vendit. l. d. Diss. à nobis Bachov. V. 1. ad Tr. D. 28. th. 2. l. c. & quos allegat Besold. in delib. P. 3. ex l. 19. ff. q. 1. & Hænon. D. 16. ad J. l. 3. q. 12.*

XIII. Non frustra quæri potest, An subtilitas in jure laude, vel vituperio digna sit? Etenim ansam nobis præbent multi juris textus: Nam in *l. 47. §. 1. ff. de negot. gest.* dicitur, nil referre, directa quis, an utili actione agat, vel conveniatur, quia in extraordinariis Judiciis, ubi conceptio formularum non observatur, hæc subtilitas supervacua est, &c. Cum enim non poterat Judex de utili actione cognoscere, cui Prætor duntaxat potestatem fecerat de directa, idè adjicitur, secus in extraordinariis esse, veluti in quibus præfata utilitas non observabatur. Adeoq; indè colligitur, subtilitatem quandoq; otiosam & nullius autoritatis, seu observantiæ esse, *junct. l. 11. C. de natural. lib. ibi, vanã subtilitatem, l. 14. princ. C. de legit. hered. ibi, sed posteritas, dum nimia utitur subtilitate, l. 13. C. de usufr. & habit. l. 13. C. de contrah. & comitt. stipul.* Quippe Jurisprudencia nostra amat simplicitatem, subtilitatem verò averfatur §. 7. *J. de fideic. hered. junct. §. fin. J. de legat. facit & argumentum in l. unic. in fin. C. ut action. & ab hered. & in eum incip. Item l. 91. §. 3. de V. O. l. 18. §. 16. ff. quibus modis pignus vel hypothec.* Hinc & vetus illa regula; Subtilitatem & philosophicam investigationem usus forensis non recipit, Item, planius causæ forenses agenda sunt, quamvis subtilissimè indagari debeant, præsertim uti est in *l. 4. §. 6. C. de recept. arbitr.* Cum subtilis & supervacua observatio ab aula recesserit: Quo etiam spectare videtur Julianus in *l. 51. in fin. ff. ad L. Aquil. ibi, multa jure civili & Bl. dicit, quod nimia subtilitas errorem causet in l. 2. C. de bon. possess. & idem notat, quod subtilitatibus verborum res subverti nõ debeat in l. 2. C. de fideic. maxime, ubi causæ decidendæ sunt ex æquo & bono per text. in *l. 29. §. 4. mandat. vel ubi de animæ salute agitur, quia tunc apices juris nõ attenduntur, Phil. Dec. in c. cum dilect. ad gloss. fin. Tiraq. in tract. de privileg. piar. caus. 164. post med.**

In-

Indignum enim est, ut ultionem pudoris præstigiæ versuti
juris (decipientis) excludant *l. 28. in fin. C. ad L. Jul. de adult.*
Imò error manifestus est, sequi subtilitatem juris, & æquita-
tem omittere *Alex. in l. 91. §. 3. de V. O.* Deridendi igitur etiam
sunt ii logodædali, qui nihil ac metaphysicas, logicas crepant
subtilitates: Sunt enim multi casus in jure, in quibus subtili
dialecticæ rationi, utilitatis & vitæ communis ratio præpon-
derat: *Hottom. illustr. qq. 33. Job. Oldendorp. 2. Conf. Marpurg. 2.*
n. 3. Et ipse Arist. (maximus alias subtilitatis Mystra) hujus-
modi subtilitatis studium appellavit *μυρολογία*, & qui plu-
rimum hac in re excedit, ille in sanæ mentis est, & eo vitio la-
borat, quam *Φαντασία* Græci, Plinius Sapientiæ morbum,
vocant, ut loquitur *Alciat. Tom. 3. oper. in præfat. ad lect. quib.*
plur. ibi videri poterit. Verum movere quenquam possit, quod
subtilitatum contemptores vocarit *Accurs. (de quo dicit Bl. in l.*
hereditas C. de pos. Cyn. in l. 1. C. de oblig. quod ejus magna sit au-
toritas & gloss. ejus alias omnes antecedit) stultos, in l. 88. §. fin. ff.
de leg. 2. Et scribit *Sala in l. 3. de Conf. Sapien. c. 6. p. 148. post*
Felinum in c. sciscitatus, in verb. illiteratus, extr. de rescript. quod
subtiles causæ, tardioris ingenii Dd. non sint committendæ,
cum plures homines ignari LL. subtilitatis, per *Nov. 23. in*
præfat. Hinc acutissimi ingenii vir & meritò ante alios ex-
cellens dicitur *Papinianus in l. 30. pr. C. de fideicom. & Ulpianus*
summi ingenii vir, l. unic. §. 9. C. de caduc. toll. Vid. Eviden. Pan-
cirol. de hisce Epith. plur. l. var. lect. c. 8. per tot. Et Cothm. in resp.
Academ. 35. n. 44. post alleg. ibidem scribit, quod subtilitas inge-
niosa & proximo fructuosa, non vitio, sed laude potius digna
sit, *Vid. & Speid. in notab. l. 5. n. 81. in voce, subtilitas.* & quos al-
legat *Gvil. Ant. Freudenberg, in tr. de rescript. morat. c. 48.* Atta-
men fortassis hæc contrarietas distinctione aliquâ componi
potest: Sicut enim duplex est simplicitas, una COLUMBINA,
quæ commendatur, altera ASININA, quæ reprobatur: Ita &
hic distingv. Inter subtilitatem solam nimiam & ca-
ptiosam, quæ sine ratione & tanquam vana, cum Phor-
mione Hannibalis sibilo excipienda & cum Thalete Thra-
censium risu eludenda est, (qui cælum suspiciens in foveam
in-

incidit, & Thracensibus risum movit) *per text. in l. ult. §. 1. C. de LL.* Hinc & jocosè *D. Lic. Schuppius Profess. Marp. in Orat. de opinione*, nimiam subtilitatem comparat placentis Norimbergensibus, quæ uti per se bonæ sunt, ita immodicè sumptæ & noxiæ fiunt, & palato ingrata. Et inter eam, quæ est cum ratione, atque hanc variè consideramus, (1) Quatenus quidem conducit, seu prodest, in investigando, *arg. textus egreg. in c. averte, 2. extr. de presumpt.* sed non semper in decidendo, cum ut plurimum comm. opinio observanda sit. (2) In legendo, ubi multum ea prodest ad acumen ingenii, ad disputationem, qua veritatem eruimus, unde subtilitas in disputando cribrum veritatis vocatur à *Joh. Bapt. Costa in tr. de fact. scient. & ignor. dist. 64. n. 14.* (3) In ultimis voluntatibus, inque perscrutanda mente testatoris, *arg. l. 16. C. de fideic. junct. l. 10. C. eod. t.*

XIV. Non levis controversia inter Dd. movetur, utrum obligationes ex delictis nascantur ex re, s. facto, an verò ex consensu? Priorem sententiam, ut amplexemur, svadet *l. 1. princ. de O. & A. junct. l. 4. l. 52. §. 8. eod. t. pr. l. de obl. quæ ex delict. nasc. & facit ratio ex l. 44. pr. ff. ad L. Aquil.* sc. quod in lege Aquilia interdum nullus consensus, sive propositum versetur, sed saltem culpa levissima. Et taxativa dictio, TANTUM, omnia excludat, præterquam ea, quibus jungitur. E contra verò valdè obstare videtur *l. 1. §. 1. ff. de injur. ubi injuria fieri dicitur etiam verbis & literis l. 5. l. 10. eod. t. l. unic. C. de famos. libell. Bachov. princ. l. de Obl. quæ ex delict. nasc.* E. etiam aliter, quam re seu facto obligatio ex delictis nascitur. Responderi solet, verba non considerari ut verba, sed quatenus in iis maleficium consistit, *Schneid. princ. l. d. t. Riem. decad. 12. qq. juridic. 2.* Et quemadmodum obligatio emptionis & venditionis dicitur solo consensu perfici, licet verba & literæ interveniant: Ita injuria tantum re fit, quamvis verba vel literæ adhibeantur. Spectamus enim id, ex quo, tanquam ex vero fonte proximè & immediatè obligatio oritur, talis fons in emptione est consensus, licet quandoque scriptura interveniat. Sic etiam est in injuriis. Imò verborum oblatio & scriptio fa-

C ctum

atum quoddam non minus, quam manuum illatio in se con-
tinet. *Pac. & Rittersb. eod. t. Inst. in princ.* Breviter distingv.
Inter factum explicitum, quod re fit, & implicitum,
quod & verbis fit. Hinc etiam homicidium lingua fieri di-
citur, idque 4. modis (1) Falso testimonio. (2) Consilio,
suggestione, seu adhortatione. (3) Præcepto, jussu ac
mandato. (4) Injusta, seu iniqua condemnatione,
Damboud. in prax. crimin. c. 70. n. 1. & per tot. Imò detrectatores
nostri deteriores habentur ipsis furibus & raptoribus, *c. dete-
riores 15. c. 6. q. 1. c. 13. & 17. ead. quæst.* Adeoque etiam implicite
factum lingua committitur.

XV. Quamvis nonnulli putent, furta tempore
egestatis vel necessitatis facta, esse licita, neq; pœnas
mereri, cum necessitati nulla lex sit posita, *D. Riem. decad. 12.
q. 4. cum ibid. cit.* Attamen eorum rationes, ut rectè tradit
d. l. Riem. non concludunt, quod intendunt, nempe quod fur-
ta planè debeant esse impunita. Nam concedimus, quod
tales mitius plectendi sint, *c. 3. extr. de furt. & per text. in c. 11.
C. 12. q. 2. Wes. π. de furt. n. 15.* Nisi graves quædam circumstan-
tiæ aliud svadeant.

XVI. Similiter disputant *Dd.* An fur rupto laqueo
de patibulo decidens in columnis in terram, rursus sus-
pendi debeat, an verò liberetur? Nos cum *Hæn. disp. 18. ad
Inst. thes. 11. Lymn. de Jure public. T. 2. l. 4. c. 8. n. 300. Hunn. ad Tr.
V. 2. D pen. thes. 3. l. h. & Bacch. cod. l. statuimus,* furem rursus
suspendendum esse. Sententia enim condemnatoria suam
debet sortiri effectum, *arg. l. 18. C. de pœn. & t. t. ff. de re judic.*
Ast sententia vult, quod fur sit strangulandus *Car. V. P. S. D.
Const. 157. ibi,* daß der Dieb am Galgen mit dem Strang/
oder Ketten vom Leben zum Tod gerichtet werde. Hinc
apparet malè acclamare pullatam plebem, si raptura laquei
contingit, *der arme Sünder habe sein Recht ausgestanden.*
Etenim cum nondum enecatus hic appareat, sed vivus sit, ad
complementum sententiæ latæ, nondum hic perventum. Er-

go ex effectu sententiæ denuò suspendendus *arg. l. 7. in fin. ff. de J. patr.* Hoc tamen etiã probè observandum: scilic. si laqueus à restione novitè contortus, præter omnium spem, dissolveretur, & reus sine omni membrorum læsione in terram cadens resurgeret, aut aliud tale quid planè miraculosè contingeret, tunc non abs re esse putatur, si executio parumpèr suspendatur & de novo inquiratur quàm scrupulosissimè in innocentiam & asserti miraculi causam, *per l. 1. in fin. ff. de quæst. & per ea quæ exempli loco asserti Webner. in Metamorph. Rerum publ. c. 3. ad fin.*

XVII. In §. ult. I. de Interdict. junct. l. 1. & 2. C. de form. sublat. hodiè omnia judicia extraordinaria esse dicuntur. Quæ sanè Imper. Justin. assertio scrupulo non carere videtur. Teste enim *Schultz. in Synops. Judic. th. 4. cum ibidem cit. practic.* adhuc hodiè judicium aliud est ORDINARIUM, aliud EXTRAORDINARIUM. Sed sciendum est, hodiè alio sensu ordinarium dici judicium & extraordinarium, quàm olim. Hæc autem, ut eò melius intelligamus, plenius res hæc erit attingenda, *arg. text. in l. 25. ff. de lib. legat.* Proinde hæc præmittenda sunt, nimirum, lex 12. tabb. primò certas & solennes agendi formulas adinvenit *l. 2. §. 6. ff. de O. I.* quas unà cum cætero jure omni in penetralibus suis abditas habebant, & litigantibus decernebant pontifices *d. §. 6. l. 2. Cic. pro Mur.* Sed cum hi eâ potestate abuterentur, ad Prætores deinde auctoritas actionum dandarum translata est *l. 15. §. 28. ff. de damn. infect.* Et initio quidem Prætores Romani ad exemplum Græcorum, aliorumq; populorum, ipsi causas cognoscebant, de quæ iis judicabant: Postea verò, augendæ dignitatis & auctoritatis suæ ratione, evenit, ut ipsi Prætores, non nisi EXTRAORDINEM judicarent de privatorum causis, si sc. favor causæ, necessitas aut æquitas exposceret, aut jus incertum esset, aut etiam, si illa disceptatio Judicum pedaneorum notionem excedere videretur, E. gr. Si filio ab impio Patre denegabantur alimenta, (quæ ipsi tamen, ipsa natura docente, debentur) is, quia nullam habebat actionem *l. 4. ff. de*

judic. rectè extra ordinem à Prætore juvabatur. Et hinc inter jus & iudicium, inter Magistratum & Judicem, inter jus dicere & iudicare, inter jurisdictionem & notionem, inter ordinariam & extraordinariam cognitionem cœpit distingvi: Nimirum Prætor tanquam Magistratus Ordinarius jus dicebat in jure extra ordinem per jurisdictionem suam: Judices verò Pedanei iudicabant in iudicio, causa à Prætore ipsis demandata & formulis datis. Erat itaque tum ordinaria cognitio, seu ordinaria & consveta procedendi & jus dicendi via, ut Prætor Vadimonio concepto & causa summam cognita ad Judicem privatum, seu Pedaneum litigantes amandaret, iisque certam formulam, coram Judice Pedaneo agendi conciperet, unde & ipsa actio vocatur formula *l. 43. princ. ff. de furt. & apud Cic. l. 3. offic.* formula de dolo malo, apud *Plin. l. 9. histor. c. 59.* dati damni formula edita, i. e. *L. Aquiliae actio* data dicitur. Atque hinc etiam enata differentia, inter actionem & persecutionem: Persecutio enim ad ea pertinet, quæ non habent juris ordinarii executionem. Actio verò peragitur more consveto, solenni formula & coram Judice Pedaneo *l. 178. §. 2. de V. S.* Antequam verò Prætores Judices darent, de jure agendi constare necesse erat, an videlicet actio competeret, & si competeret, quomodo? Ergo apud Prætorem causa summarie agebatur, atque adeo conjici solita erat in jure & de jure, non de facto, quod Magistratus præsupponebat credens narratis petentis: Quibus ita legitime constitutis, Judicem dabat Prætor, in quem uterque litigantium consensisset, litigatoresque iudicium accipere & suscipere dicebantur *l. 9. §. 3. ff. de dolo malo*, h. e. litem contestari, quod in jure ad sellam Prætoris fieri solebat, *Petr. Fabr. ad l. 27. de R. J.* atque ita in litis contestatione jus desinebat & iudicium incipiebat. Dati porro Judices illi à Prætore vocabantur SPECIALES *l. 5. ff. de Offic. Præs. d.* Item PEDANEI *t. t. C. de Pedan. Judic.* exinde ita dicti, quod pede plano iudicabant, & non pro tribunali *Cujac. ad Nov. 82.* vel quod Magistratus, cum iudicarent in Tribunali edito & superiori loco

con-

confidebant, Pedanei verò in imo loco, ubi Magistratus sub-
sellia pedum habebat. Item appellabantur JUDICES dati *l. 46.*
ff. de judic. DELEGATI l. unic. C. qui pro sua Jurisd. (qui hodiè
vocantur COMMISSARIJ, *Schneidw. f. de act. §. 1. n. 23.*) Coram
hisce igitur Judicibus causæ demum ventilabantur, actiones
& exceptiones proponebantur, quæ omnia in Judicio fieri
dicebantur, & hic erat ordinarius procedenti modus, in o-
mnibus iis causis, ubi jus certum, ordinaria actio, ex facto
aut obligationibus competebat, observatus. Notandum
insuper hic est, quod hæc differentia ordinarii & extraordi-
narii judicii olim magni fuerit momenti. Nam in ordina-
riis, cum Judices dabantur, certæ formulæ à Præto-
re præscri-
bebantur, secundum quas sententiam ferebant, & ab iis, ne-
latum quidem unquam recedere audebant. In extraordina-
riis verò nullæ tales formulæ erant, nec Magistratus leges im-
ponebant, quo minus ex arbitrio suo jus dicerent: Et hinc il-
la nata vulgatissima differentia Judiciorum bonæ fidei & stri-
cti juris, nempe ob diversam formularum, quæ Judicibus præ-
scribebantur, conceptionem, quæ in bonæ fidei Judiciis plenio-
rem Judicii largiebantur potestatem: Sic in formularum in-
terpretatione multum intererat, an directa quis an potius
utili actione experiri vellet: Neq; enim de utili actione co-
gnoscere poterat Judex, cui Prætor duntaxat judicandi pote-
statem fecerat de directa: Hinc Paulus *in l. 47. ff. de negot. gest.*
ait; In extraordinariis Judiciis, ubi conceptio formularum
non observatur, supervacua esse subtilitatem, de directa &
utili actione. Verum procedente tempore ordinarius iste
& receptus Judicem cum formula dandi mos non præter ra-
tionem immutari coepit: Primò enim Impp. Dioclet. & Ma-
xim. voluerunt, ut Præsides ipsi de causis cognoscerent, non
dato Judice Pedaneo, nisi propter causarum multitudinem,
vel aliud justum impedimentum ipsi cognoscere non possent
l. 2. C. de Pedan. Judic. Postea Constantinus omnes formulas
radicitus extirpavit *l. r. C. de formul. subl.* Unde Nazarius in
eo, quem Constantino scripsit Panegyrico *in fin.* Veterum, in-
quit, calumniosæ ambages rescissæ, captandæ simplicitatis

C § laque-

laqueos perdiderunt. Et hac ratione hodiè omnia Judicia sunt extraordinaria *d. s. ult. f. d. t.* sc. respectu FORMULARUM, quæ sublata sunt, itaq; sunt nuda & simplicia, & primæ suæ naturæ conformia, & eodem modo tractantur, quo olim extraordinaria judicia, sicq; etiam differentia in JURE FIERI & in JUDICIO hodiè sublata est, *Nov. 82. nisi cum Dd. referente Bach. f. de act. in pr.* dicere velles, id in JURE fieri, quod ante LITEM; In JUDICIO verò, quod post eandem contestatam fit. Observanda insuper duo hîc sunt; 1. Quamvis differentia illa hodiè in effectu sublata sit; Nihilominus tamen in Responsis Jctorum, infinita adhuc juris istius veteris vestigia supersunt, quæ, si hæc juris veteris ratio ignoretur, intelligi planè non possunt. (2) Licet curiosa illa & subtilis forma impetrandi & proponendi actionem sublata sit: Tamen adhuc hodiè actio, cum debita causa, medioq; concludendi & apta conclusione institui, & sic congruè cum sua usitata forma & ratione libellus Judici proponi debet, alias contra libellum, ut ineptum opponi potest, ut notatur *in c. 15. ext. de Judic. Schneid. f. de act. & format. libelli.* Hodiè verò, quoad nostros mores, alio planè sensu Judicium aliud dicitur, ordinarium, aliud extraordinarium; Illud enim (1) est, quod olim erat extraordinarium. (2) Quod ordinariè, & solemniter peragitur, seu, ubi plenus & legitimus Judicii ordo & Processus servatur, *de quo ordine videndi sunt, qui scripsere, de Process.* Hoc verò, sc. summarium s. extraordinarium est, ubi propter favorem juris de plano, levato velo, h. e. citra strepitum & figuram judicii proceditur: Quodq; vicissim est in duplici differentia (1) ubi per notorietatem, ne quidem litis contestatione, libello, aut probationibus opus est, de quo intelligitur *Clementin. Sæpè, 2. de V. S.* (2) Ubi substantialia processus (*veluti sunt, citatio, probatio arg. Clement. pastoral. de Sent. & re judic.*) adhibentur, de quo agitur *in Clementin. dispendiosam de Judic. Vid. Petr. Frideric. in Comm. 2. à num. 3. usq; ad 56.*

Tantum ex jure
CIVILI.

EX

EX JURE FEUDALI

THES. I.

Legitimos per subsequens matrimonium succedere in feudis satis arguit *c. tanta ext. qui filii sint legitimi, l. 5. 19. C. de N. liber. Nov. 89. c. 8. cum aliis.* quodq; etiam in PRAXI servatur, *Vultej. l. 1. F. c. 9. n. 92. per ibidem citat. 6.* Hoc tamen REGULARITER non procedit in legitimatis per rescriptum Principis, *Vultej. d. l.* Verum an hoc theoreticæ veritati conveniat. Q? Nos adstipulamur Vultejo neganti, *d. l. Rittershus. in tr. F. c. 13. l. 1. Hottom. in §. natural. 2. F. 26. Hunn. Tr. F. c. 10. p. 208. cum ibidem citat.*

II. Difficilis est quæstio, an Vasallus Domino contra Patrem auxilium ferre debeat? Affirmativa sententia satis apparet per textum expressum, *in c. unic. §. fin. 2. F. 28.* quæ lex etsi dura videatur, servanda tamen est, cum lex consuetudinis ita scripta sit *arg. l. 12. ff. de pœnis. Zas. in Epit. feud. p. 7. n. 28.* Idem Gloss. *in d. §. fin.* dicit DE DOMINO, quod teneatur adjuvare suum Vasallum contra patrem, & pluribus probat Rosenthal *c. 8. conclus. II.* Hæc tamen omnia procedunt in rebus licitis, quæ non sunt contra honestatem, divinum & humanum jus, *Vultej. c. 10. n. 33.*

III. Sic Vasallo defensionem adversus Dominum injustè offendentem omnia jura permittunt, per textus generales sine exceptione *in l. 3. de J. & J. l. 45. §. pen. ff. ad L. Aquil.* Præsertim cum sit de natura mutua inter Dominum & Vasallum obligationis contractæ, ut fides sit reciproca, seu juxta Feudistæ verba, in omnibus vicem reddat Dominus Vasallo suo, & sic illum potius adversus vim injustam tueatur *2. F. 6. §. 26. §. 5. §. 47.* Hinc Conjux Vasalli & amicus dicitur Dominus *2. F. 58. in fin.* Et insuper natura juramenti hoc satis innuit, quæ semper annexam habet tacitam conditionem, si sc. sibi fides servetur, *c. 3. ext. de Jurejur. facit arg. l. 28. C. de transact.* Addo, quod Vasallus feudum, veluti beneficium capienti gaudium tribuens, teneat, ut dicitur

2. F.

2.F. 25. Ergo in ejus odium detorqueri non debet l. 25. ff. de
LL. l. 3. §. 5. in fin. ff. de Carbon. edict.

Tantum ex jure feudali.

EX JURE CANONICO.

THESES. I.

Etiam jure Canonico Parentum consensum in nu-
ptiis liberorum requiri de necessitate, statuimus cum
Vultejo, Heig. Bronch. Arum. Olemann. Duaren. Coraf. Do-
nell. Borch. Gentian. Heroet. (qui peculiarem edidit in hanc
rem orationem) Oldendorp. Alber. Gentil. Cypr. Zepp. Beust.
Pulvæo, Wes. Hott. & aliis, conciliatis sc. novellis canoni-
bus cum antiquis.

II. Titius proficiscitur ad debitorem Mævium, in via
verò incidit in latrones, qui ipsi mortem minantur, nisi tot
thaleros illis det. Titius præterdit se jam secum ne hilum vel
obulum quidem habere, ut verò vitam liberet, (dann das Le-
ben ist edel. omnibus vivere suave est Ter.) promittit stipulatâ
manu se velle ipsis tot pecuniæ, quot petierint, mittere: La-
trunculi verò non contenti tali promissione, cogunt eum ad
jurandum, quod Titius etiam præstat, Q. jam, an hoc jura-
mentum servandum? Nos putamus quod sic (nisi aliæ quæ-
dam circumstantiæ aliud suadeant,) *per text. in c. 28. ext. de
jurejur. & c. 8. eod.* Et hanc esse comm. opinionem tam Theol.
quàm J. Ctorum, testantur B. Balduin. *in Cas. Consc. C. 11. & 14.
Gohel. Amef. de Consc. & ejus jure, 4. c. 22. q. 9.*

III. Non convenit inter Dd. An puella per vim
stuprata possit stupratori nubere, sicq; eum à pœna
mortis liberare? Nos Affirm. amplectimur, moti *c. ac-
cedens 7. ext. de raptor.* Et hoc ob favorem matrimonii, quia
deflorata & corrupta alias non facilè virum invenire potest:
Secus tamen est in fure, quem puella liberare non potest.
Lynn. Tom. 1. de J. P. l. 4. c. 8. n. 286. cum seqq. Et Amplissimus
Dn. D. Richter *in semicenturia qq. miscellan. q. 22.*

IV. Quanquam multi statuunt concubinatum ju-
re Canon. esse sublatum, refer. *Hanon. disp. 1. ad J. th 7. At-
tamen*

tamen veriore[m] illorum sententiam aestimamus, qui Con-
cubinatum jure Canon. non simpliciter damnatum esse asse-
runt; Certis enim conditionibus permittitur, quarum prima
est, ut consistat inter solutum & solutam, seu, si sint cœ-
libes. (2) Ut illi non filiorum procreandorum, sed pro
incontinentia solius concubitus causa jungantur.
(3) Ut ea fide media jungantur, ne ille cum altera, nec
illa cum altero idem faciat. (4) Ut concubina non ad
tempus duntaxat, sed eo usq[ue] assumatur, donec alia
dignior, ac ditior accipiatur, *c. solet. c. 32. q. 2. Trentler.*
D. 16. V. 2. thes. 5. l. a. ibiq[ue] Bachov. & Hunn.

V. Quamvis ferè Comm. Canonistæ putent, ut *Job.*
Andr. Anton. de Butr. Petr. de Anch. in c. 1. extr. de Paroch. & Job.
de Anania in c. qualiter & quando. extr. de accusat. filium natu
majorem in dividenda hæreditate habere potestatem
dividendi; Minorem verò natu habere optionem &
electionem: Attamen Legist. & aliorum Canonistarum
opinionem veriore[m] & cõmunio[re]m esse statuimus,
cum Bl. in l. 14. C. de SS. Eccles. Br. in l. 1. C. de his, qui deferunt se.
Joan. de Imola in l. 4. pr. ff. de hered. instit. Panormit. in c. 1. de
Paroch. Angel. in §. 20. I. de Act. & in §. fin. I. de societate. Jason.
in l. 2. C. Comm. de legat. Limitatur verò nostra thesis, (1) nisi
statuto aut consuetudine alicujus loci contrarium in-
troduc[tu]m sit, ut sc. major dividat, minor verò eligat, tunc
enim habet locum, vulgò quod dicitur: Statutum tollere jus
commune in loco, ubi viget statutum, *arg. l. 9. de J. & J.* Sicut
& in jure Saxon. expressè cavetur *in Artic. 29. l. 3. ubi dicitur:*
Wo zween Mann ein Erb nehmen / da sol der Elteste
theilen / vnd der Jüngste sol kiesen / & ferè in pluribus
locis Canon. sententiam consuetudine receptam esse, tradit
Mynsing. O. 37. Cent. 4. Schurff. Consil. 71. Cent. 1. Tirag. de jure
Primogen. q. 60. Deinde thesis nostra procedit, si hæredi-
tas non est divisa, sed fratres possident eam pro indi-
vilo, *siken in vngetheilten Gütern /* Secus igitur, si à Te-

D sta-

Statore facta est divisio: nam tunc standum divisioni factae
l. 20. C. famil. herisc. Modo quisq; filiorum in legitima non
defraudatus sit. Gail. 2. O. 116. n. 3. cum ib. citat.

Et tantum ex jure

CANONICO.

EX JURE PUBLICO THES. I.

Acrius est disceptatio inter Politicos, An Princeps possit ex plenitudine potestatis suae propter utilitatem, vel necessitatem publicam, privatis jus quæsitum auferre, non refuso pretio? Nos & juri divino & æquitati naturali convenientiorem esse negativam afferimus sententiam, Vid. c. 46. v. 18. Ezech. Deut. 17. v. 14. cum seqq. Et contra jus naturale est, alterum lædere, quo jure nec Princeps solutus est: qui enim LL. naturæ transgreditur, Tyrannus est, c. 12. c. 2. q. 1. Reink. l. 1. cl. 3. c. 12. n. 69. Hinc rectè absolutam illam, (quam quidam fingunt) potestatem Principis vocat tempestatem, Lymn. de I. P. T. l. 2. c. 8. n. 50. Et Waremund ab Ehrenbergk, dubitandum esse ait, an ab homine, vel Diabolo vox illa sit prolata, Principem pro lubitu omnia posse facere: Item Sixtin. ex Valasco. dicit, refer. Reinking. d. l. n. ult. Infanientium potius, quàm Jurispr. loquelam esse, Principem pro lubitu quadrata rotundis mutare posse. Sapienter Trajanus Imperator ad Præf. Præt. ait, refer. Hænon. diff. 9. politic. th. n. in fin. Hunc ense, si justè imperavero, pro me, sin male, contra me usurpato.

II. Q. An Clerici vel Ecclesiastici ordinis homines, non minus, quàm Laici, pro modo facultatum & bonorum suorum, collectas extraordinarias quæ ob bellum & necessitatem publicam, in hisce exulceratissimis temporibus exiguntur, solvere teneantur? Affirmativam sequendam esse omni jure æquum & consentaneum existimo, quoniam omni etiam jure sunt subditi.

(D)

(1) DIVINO, Rom. 13. Act. 25. 30. 37. (2) CIVILI l. 6. ad Municipal. l. civis C. de incol. l. 10. l. 17. ff. de stat. homin. Hinc Imp. in edictis & rescriptis suis, Gebieten allen vnd ieden / Geistl. vnd Weltlichen &c. (3) CANONICO, c. de capitulis, c. quis nesciat, dist. 10. c. sacerdotes C. u. q. 1. Nec desunt textus ad hoc speciales, ut in l. placet l. neminem C. de SS. Eccles. l. u. de quibus muner. nemini lic. se excus. l. 1. C. de navic. non excus. c. generaliter c. placet c. u. q. 1. c. si tributum, & c. adversus. extr. de Immun. Eccles. His accedit jus novissimum R. I. Wormat. de A. 1592. in pr. Augustæ de Ann. 1582. §. Vnd nach dem dieser etc. & satis notabilis Recessus de Ann. 1544. §. Vnd zu diesem etc. vid. Exemplo insuper suo Christus ipse confirmat Matth. 17. & Luc. 2. censui se subicit. Et sanè, si Clerici tempore necessitatis arma capere & civitatem custodire tenentur, c. 2. extr. de Immun. Eccles. multò minus hoc in casu immunitatem sperabunt, præsertim, cum natura consonum sit, commune periculum communi opus habere aversione, Clem. 1. de Cens. ac comoda pacis & quietis ad Ecclesiam æquè spectare dicatur, c. tributum C. 23. q. 8. qui igitur onera pro pace ferenda recusabunt? per jura vulgata.

III. Jure communi verum est, posse subditum absque licentia Domini domicilium transferre & civitatem alibi acquirere. per text. in l. 5. §. fin. l. 12. pr. ff. de capt. l. 31. ad Municipal. Gail. 2. O. 36. n. 7. cum ibid. citat. & probat CONSUVETUDO in Germania & Hispania recepta, Bodin. l. 1. c. 6. n. 58. Non tamen inficias imus, Principes vel Civitates huic derogare, & statuto, ne subditi emigrent, prohibere posse, ut id prohibitum legimus in Dania, Scotia & Anglia, &c. Attendenda tamen in hac nostra thesi distinctio, Inter homines liberos & inter Rusticos & glebæ addictos: De illis vera nostra opinio, modo Domino id, quod jure emigrationis solvi solet, vulgò, die Abfahrt / Nachsteuer R. J. de An. 1555. §. Wo ober vnser etc. præstent. Rustici verò servi, Leibeigene & glebæ adscripti revocari possunt l. 1. 2. C. de

D 2

serv.

*serv. fugitiv. ubi Cyn. Bl. Br. Arum. in A. B. ad c. 16. & Buxt. ad
idem c. A. B.*

IV. & ultima. Magistratus, qui à vera religione est alienus vel iniquus, nihilominus legitimus est & manet Magistratus, idque constat ex jure divino, *Matth. 22. Rom. 13. 1. Petr. 2. Reinkingk. l. 1. cl. 1. c. 3.* cum hac tamen addita distinctione, sc. distingvendum est inter ipsum Imperium & statum Magistratus; & inter usurpationem & acquisitionem: Ordo ille, ut videlicet sint, qui imperent, jubeant, jus dicant, à DEO est: Usurpatio verò tunc demum à DEO, si fiat secundum ordinem divinitus præscriptum, à quo si deflectat, manet quidem Magistratus, & præest ordini divinitus instituto, quamvis malè. Abusus enim potestatis legitimè constitutæ, non tollit verum usum & rei substantiam. An verò Magistratui iniqua præcipienti obediendum sit, quæritur? Nos ita distingvendum esse putamus, nempe, inter Præceptionem, quæ contra DEI, & naturæ LL. & inter Præceptionem, quæ utilitatem & commodum nostrum respicit: Ibi nullo modo est obediendum, juxta Apostoli effatum *Act. 5. v. 29.* Possumus enim id tantum, quod honestè possumus *arg. l. 7. ff. de usu & habitatione.* idque propter vindictam divinam *Os. 5. v. 13.* Hic verò præstabilius est obedire, quàm jussa recusando cæteris rebellandi occasionem præbere *c. quid culpatur. C. 23. q. 1. l. 1. in fin. C. de offic. præfect. urb. Reink. d. l. cum ibidem citat.*

Et tantum etiam ex jure
PUBLICO.

DEO TER OPTIMO, TER MAXIMO, SUMMO STUDIORUM MEORUM DIRECTORI, AC PATRONO,
SIT LAUS, HONOR ET GLORIA, IN SEM-
PITERNA SECULA.

Quod

Quod magni Schrötere premis vestigia patris,
Quem pridem ingenii vixit ad alta decus,
Ac legum fretus scitu ad sublimia tendis
Culmina, quæ dignis destinat alma Themis:
Laudo, precorq; DEUM, bonus ut tua cœpta secundet,
Olim quò possis æquiparare patrem.
Namque sui cui sunt in amore & honore parentes,
Hunc manet in terris laus, decus inque polo,

Dno Affini

Johan Major D.

Quid poscis Cathedram, Schrötere, obeunte
Parente?
Ut virtute mea sit redivivus, ais.
Sic est, sic in morte Pater quit vivere: sed tu
Quò Themidi possis vivere, vive diu!

*Erasmus Ungepaar J.V.D.
& Ordinarius.*

Laudo conatus; faxit SCHROTERE Jehova,
ut processit onus: sicce sequatur honos.

Cl. Dno. Doctorando
grat.

Rudolph - V Vilhelmus
Krauß D.P.P.

D 1 Er

ERgo animum mentemq; Tuam, SCHRÖTERE, per-
urit

Gloria, summa petens, generosum & suscitatur ignem!
I pede, quò Te mens animi rapit ignea, faustò,
Alipedem Famam nullæ remorentur Inebra.

*Clarissimo Dn. Doctorando,
Matrueli & Amico singulari,
honores, prope diem D.V. meritò suo
capessendos, gratulatur*

*Johannes Tobias Major,
S. Theol. Licent.*

Est sudoris opus penetrare sacraria Legum,
Est Themidos titulos nosse laboris opus.
Est & laudis opus: Cognate colende, cathedram,
Scande, laboris opus quæ tulit, illa feret
Mox & laudis opus, Themis alma: laboris
Accipit ex Illâ præmia quisque sui.

*Clarissimo Dn. Doctorando
hisce ex animo gra-
tulator*

**Ernestus Fridericus Schröter
J. U. Cand.**

Zan

An ohn Arbeit auch auff Erden
Einig Gut erhalten werden?
Nein! vom Himmel ist beschlossen/
Das wir sollen vnverdrossen
Steigen nach der Tugend Schloß.
Schawe/wie der Müß ergeben/
Die doch nur den Lüsten leben/
Nur/damit sie überkommen
Das/was Ihnen scheint zu frommen/
Doch warhafftig böse ist.
Jener scharrt/large/spaart/rennt/läuffet/
Vnd den roten Klumpen häuffet/
Wil sich auch zu Tode kräncken:
Läßt sich doch dahin nicht lencken/
Das die Arbeit nichtig sey.
Andrepflegen stets zu tichten/
Vnd ihr Thun dahin zu richten/
Das ja allen sie vorgehen/
Vnd hoch an der Spizen stehen:
Dhneracht es nicht besteht.
Solt nun der nicht seyn bemühet/
So nur nach der Tugend sihet?
Nach der Tugend/die zu sitzen
Pfleget auff der rauhen Spizen
Vnd im hocharbawtem Schloß.
Nach der Tugend/die belohnet
Den/ so keiner Mühe schonet/
Sondern noch in letzten Stunden/
Wann der Berg fast überwunden/
Fremd: vnd eiffritz setzet fort.

Nun

Nun/ Ihr/ Liebster! wolt fore sehen/
Euch den Schweis noch lassen nehen/
Vnd die Tugend Cron erlangen.
Ach ich seh Euch schon drinn prangen/
Fort! denn igt igt kömpt das End.

Seinem hochgeehrten Herrn
vnd vertrauten Freunde/
vberreichet dieses zu schuldi-
ger Dienstbezeigung

M. David Lipach
von Breslau.

Audio Censuræ Te nunc, Schrætere, Themistos
subjecisse novas, non sine laude, Theses.
Non dubito has iri, loquitur res ipsa, probatum,
Virtutis Comiternæ comitatur Honos!
Ut Tonitru ruptas Cœli percurrere rimas
Fulguris extensi flamma corulca solet,
Sic Schræterorum Pietas, Laus, Gloria, Virtus,
Collaudatorum magna per ora volat.

Ita Clarissimo atque
eximio Dn. Doctorando
Amico & Consalino sua-
vissimo gratulatur

Johannes Besser
Drösigio Misn.

Hacte.

HAETERNUS insignes certans Schrôtere labores
Gustasti, consultricem quibus ipse Themistam
Conciliavisti. Quae vasta per aequora juris
Postquam Te vidit renatantem, navita, Noster
Hic quoque, dixit, erit. Viridi studiosa coronâ
Turba juventutis magnis quoque laudibus huncce
Ornabit, dum recta aequi vestigia caeca,
Per vada monstrabit certò: spumantibus olim
Hinc illinc multos errantes fluctibus hujus
Oceani, ad portum tandem est ducturus amœnum.
Maeste igitur Schrôtere tuis virtutibus, imple
Quae Themis ipsa Tibi retulit: desistere noli
Hisce tuis coeptis, Themidos sic fidus alumnus
Diceris, patrios fines praeconia laudum
Non modò replebunt, sed & insula cerula ponti,
Omnis terra Tuum nomen cantabit in ævum.

gratulabund. ap.
posuit

Theophilus Bergman
Gothâ-Thur.

SÆpè Tagi radiantis opes terretur amœnas
Sperscrutans gnarus spumantis turbine fluctus;
nec tamen allectus fulvo fulgore quiescit
auri, sed lapides gnarus rimarier omnes
audet, quò plaudâ, gazarum mole beetur.
Sic, licet osorum grassentur dira fluentia,
hos contra, divo qui jus ex Jure recludunt,

E

&

& turbare velint constanti mente volentes
incluta Juridicæ penetrare sacraria Divæ,
attamen in claris ausis addicta Themisti
mens validè pergit fremitus oforis atroces
spurnendo, spondens Themidos sibi pondere gazas
grandi. Grande decus Sacræ SCHRÔTERE Themistos
pro nihilo pendens olores promis in auras.
Justitiæ gazas, quas altâ indagine mentis
quæfisti, id specimen celsum testatur Iuris.
Cur non vina meum pertinent gaudia pectus,
vota vovere quibus Tibi debita ducar amico,
Eunomiæ que tuis summis gratam er ausis?
Comprecor en merito! fausto quo sidere magnum
conamen sectans, mox ampla insignia clari
Doctois capias, facias que per oppida notum,
nomen, dum miseris, addis, livore dolente,
auxilium, florebis sic sine fine: - -

Hec gratulabundus.

Cl. Dn. Doctorando Amico &

Conterraneo suo sincero &

honoratissimo fundebat

Caspar Gothofredus Hahn

Schleusingâ-Henneber-

gicus, LL. Stud.

T *Ecum gaudeo dum beatiore*
Ascensu cathedram disertiozem.
O *felix AMITINE, jam salutas,*

Fe-

*Felices Themidosq; gratulari
Egressus satagens tua, perennes
Felices uoveo Tibi: sed obe
dam sic gaudeo júbiloq; Tecum
Mecum plange, Amitine, plange mecum.*

apponebat

Johan Heinrich Zölner
Schmalcaldiâ Francus.

ΕΠΟΣ ΣΥΝΗΔΟ
ΜΕΝΟΝ.

Quanta viatori pertentant gaudia pectus,
Si, dum genua labant nimio collisa labore,
Dulcis sonos ut fundat avis de vertice cantus
Audiat, & vario modulamine Davlias ales,
Certet cum reliquis, palmamq; canendo reportet:
Tanta vir excellens, tua jam praecordia mulcent
Jubila, tristitiam volucris dispergere vento
Sic offers, penitus sic oblivisceris horum,
Quae Tibi cunq; graves vita peperere labores,
Dum teritur via talis, & hanc spes vincere certa est.
Cernis ut alma Trias Charitum, coetusq; novenus
Lilia, pallentes violas, castamq; rosamq;
Afferat, atq; tibi studeat contexere ferta,
Pro meritis, curis, sudore, laboribus arctis,

Unde

Unde Tibi cessit victoria, gloria, Nomen.
Sed latet innumeros DOCTRINÆ Regia, mille
Tædia, cura, labor. foribus vicina morantur.
Est via difficilis, præceps, quam sudor anhelus
Consequitur, si ferre gradum moliris ad illam
Primitus, at levis re postquam ipsa cacumina tanges.
Verum Vir dilectæ DEO, dilectæ Camænis,
Compos es optati, ventis tumefacta secundis
Vela volant, magnis fors flat dexterrima captis.
Ergo decus Patria nostra nunc, Optime SCHROTER,
Eximios, quibus auctus ades modo, propter honores,
Salve, Pegasides & ab hoc saluete Sorores.

Id quod Dn. D. Conterraneo
& amico suo per dilectio of-
ferre voluit, debuit
Sebastianus Glümperus.

FINIS.

Serius missum, hic postum.

W Je weñ zu guter lezt nach vielem Streit vnd Kriegen
Ein Römer noch einmahl den Feinden solt obsiegen/
Vnd sahe schon vor sich / wie ihm mit Pracht vnd
Fast auffgeschlossn war das Capitolum: (Ruhm
So ist es izund auch / mein Freund / mit Euch / drufft gehet
Noch einmal an den Kampff / die Ehren-Krone stehet
Vnd wartet auff den Sieg: der Vater kömmt schon
Vom Grabe wieder her / vnd lebet in dem Sohn.

Zu Bezeigung guter Affecton vnd zu Ehren
seines irewen Freundes sehet dieses auff

Esaias Tressel von Gotha.


1017

ULB Halle 3
003 007 09X



80







1550.

DISPUTATIO INAUGURALIS,
EX
UNIVERSO JURIS NOSTRI SYSTEMATE DELIBATA,

3. 4
1645,7
14

QUAM
DEI FRETUS AUXILIO,
Jussu & Autoritate, Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Jcto-
rum Ordinis, in illustri ac celeberrima Salana Universitate,

42

PRÆSIDE
VIRO Amplissimo, Excellentissimo, atq; Consultissimo,
DN. CHRISTOPHORO-PHILIPPO
Richtern / Jcto & P. P. Celeberrimo, Consilia-
rio Saxonico gravissimo, Curia Provincialis & Scabinatus
Adfessore meritissimo, & p.t. Juridicæ Facultatis Decano Spectatis-
simo, Domino Patrono, Promotore ac Præceptore suo summâ
animi observantia ætatem colendo,

Pro summis in utroq; Jure Honoribus ac Privi-
legiis Doctoralibus ritè consequendis,
IN AUGUSTO JCTORUM COLLEGIO,
publico examini submittit
JACOB Schröter / JUNIOR, Meinungâ
Hennenbergicus,
Ad diem 28 Junii.

JENÆ
Typis WEIDNERIANIS,
ANNO MDCXLV.

